

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

August Theophil Leonhard Drümmer

**Nonnulla De Kalio Inprimis Tanquam Cauterium Quod Vocant Actuale Adhibendo  
: Dissertatio Inauguralis Chirurgica**

Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCXXX.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1009188380>


Druck    Freier  Zugang





OCR-Volltext

RU med. 1830

Drümmer, Aug. Theo. L.







NONNULLA  
DE KALIO  
INPRIMIS TANQUAM CAUTERIUM  
QUOD VOCANT ACTUALE  
ADHIBENDO.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS CHIRURGICA

QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN  
UNIVERSITATE LITERARIA ROSTOCHIENSI  
AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
RITE CAPESSENDOS  
ERUDITORUM EXAMINI

S U B M I T T I T  
**AUG. THEOPH. LEONARD. DRÜMMER**  
MEGAPOLITANO - SUERINENSIS.

---

ROSTOCHII  
TYPIS ADLERIANIS.

---

MDCCCXXX.

OLIAE  
HARVESTAE  
ACERAE  
CORNUTAE  
LICHENIS  
MELIUS  
KALD  
SWEET  
RUMINANTIA  
RUMINANTIA



**BENEVOLIS FAUTORIBUS**

**ATQUE**

**CARISSIMIS AMICIS**

**GRATO AMICOQUE ANIMO**

**PRIMITIAS HAS LITERARIAS**

**EA QUA PAR EST OBSERVANTIA**

**DEDICAVIT**

**A U C T O R.**

ANNEALED PLEWELL

11074

ANNEALED PLEWELL

CHURCH OF ST. MARY OTHE

*Fautores et Amici!*

**V**obis, celeberrimi atque carissimi,  
me grati amicique animi ostendendi oc-  
casione his primitiis assecutum esse,  
maximo me afficit gaudio: Vobis, bene-  
voli fautores, quorum auxilium in stu-  
diis meis nunquam mihi defuit, et qui  
in finem ad quem ut pervenirem omnes  
meas vires consumsi, optimo eventu  
me perduxistis!

Vobis, amici dilectissimi, qui sem-  
per eo contendistis, ut quamque horam  
quam lactissimam mihi redderetis, assi-

duoque meae fortunae participes fuistis,  
atque, quoad vires vestrae sufficiebant,  
maxima gaudia parastis; Vobis has  
pagellas dedico; quas in animi mei  
gratissimi tesseram recipiatis, persua-  
sosque vos habeatis, amicitiam, quam  
mihi praestatis, nunquam in me ex-  
tinctum iri.

Valete atque mihi favete!

---

## PROOEMIUM.

Obtigisse mihi ad hoc opusculum, quod summos in medicina et chirurgia honores adepturus conscripsi, argumentum, de quo, artis medicae ratione habita, nemo hucusque egit, et posse me hominum harum rerum gnarorum animos ad medicamenti genus advertere, quod spero observatione et accurata ad chirurgiam accommodatione haud indignum fore, perquam gaudeo. Quae de eo, dum Berolini versabar in instituto praeclarissimo chirurgico-clinico Viri perillustris *de Graefe*, observavi, etsi pauca sunt, tamen ex his paucis, quid intersit inter hoc cauterium aliaque nonnulla, ad quorum accedit

in effectu similitudinem, ac quibus rebus illis cauteriis hoc praestet in usu, statuere pro virili studebo.

Expectandum est ac optandum, mox ab insigni ingenii acumine Viri perillustris *de Graefe*, praceptoris mei summe reverendi, inter hujus medicamenti aliorumque similium effectus accuratius distinctionem, fieri, quum haud dubie, ex quo Berolino absui, crebriora adhibendi hujus metalli pericula facta sint. Itaque, Lector benevolē, qualemque opusculum illius tanquam introductionem si acceperis, optato meo satisfacies.

---

## CAPUT PRIMUM.

*Nonnulla de parando kalio, et de diversis  
illud exhibendi methodis.*

---

Praeclara quum sint inventa plurima, quibus recentiori aetate ars chemica nostram auxit scientiam, illud procul dubio in praestantissimis est habendum, quo *Humphry Davy* primus alcalium terraeque specierum naturae cognitionem nobis impertivit. Jam diu in alcalibus terraeque speciebus examinandis versatae erant ars chemica et pharmaceutica; neque tamen unquam, quae sit interior horum corporum propria natura, potuerant assequi, quum mense Octobr. A. MDCCCVII *H. Davy* vi minuente columnae electricae demonstrabat, dissolvi ea posse in oxygenium et propria metalla basica, ut cum ceteris metalloidibus omnibus nunc ad oxydatorum metallorum genus referantur.

*H. Davy* primo ita exhibebat kalium, ut kali particulam interponeret laminis platineis duabus, quibus junctae erant extremae partes apparatus Voltani laminarum geminatarum ad minimum ducentarum. Quum perbrevi liquefacta

sit kali particula, in ea parte, quae  $\times$  monstrat, separatur oxygenium, in ea, quae  $\div$  exhibet, apparent globuli metallici, qui sunt kalium.

Hac ratione, vi electrica exhibendi hanc substantiam, ab *H. Davy* <sup>1)</sup> in publicum edita, *Gay-Lussac et Thénard* <sup>2)</sup> in primis in exhibendo hoc metallo versati, anno MDCCCXIII rationem, chemico processu efficiendi kalium, publici juris faciebant. Utebantur ad id efficiendum tubo sclopeti incurvato, et oxydo diligenter depurgato, cuius ea extrema pars, quae opponitur igni, maltha ignem arcente (in qua sunt quinque arenae partes et una argillae singularis) praemunita est. Hanc in partem maltha firmatam infunduntur ramenta ferri quam aridissima et diligentissime depurata. Vas ferreum, curvo collo instructum, et in eo kali perquam siccum, tubi extremae parti alteri adjungitur. In ipsa fistula debet esse parvum quoddam foramen, per quod kali liquefactum effluere possit. Alteri tubi illius extremae parti applicatur securitatis causa alia fistula, quae,

1) *H. Davy* Lecture on the decomposition and composition of the fixed Alkalies; in philos. trans. for the year 1808. Germanice versum in annalibus physicae a Gilbertio editis; Tom. XXXVII. p. 34. seqq. et p. 155. seqq.

2) Recherches physico-chimiques par *M. M. Gay-Lussac et Thénard*. Vol. I. p. 74—386. Vol. II. p. 215—258.

naphtham sive argentum vivum continens, maxima cura et diligentia ita est malthanda, ut aër influere nequeat. Hic tubus sclopeti, tali modo instructus, obliqua directione intromovetur in os fornacis ventosae, aëris flatu bene excitatae, ea quidem ratione, ut, quae pars continet ramenta ferri, ea sola exponatur calori; in qua vero est kali, in ea, admota glacie, frigus efficiatur; denique quae pars habet fistulam tutantem, ab ea quoque continuo calor arceatur.

Ramenta ferri simul ac candoris vi albuerint kali, supposito foculo liquefactum, per ea lenta fluxione perfunditur; et, absoluto processu, partim prope fistulam tutantem, partim in hac ipsa, invenitur kalium.

Sed quum, quod hoc modo comparatur kalium plerumque ferro inquinatum, ideoque plumbeo sit colore, ut purum, nullo admixto ferro, id conficeret, Dr. *Hamel* <sup>3)</sup> hanc iniit rationem: Tubum sclopeti antiquum, paulum incurvatum, illinit argilla russica, mediamque ejus partem, ramentis ferri expletam, cylindraceae fornacis ori ita immittit, ut paene in plano ponatur. Pars crassior, maltha bene firmata, quae prominet e fornace, continet kali, pars tubi tenuior, quae eadem pro-

---

3) Annals of Philosophy, by T. Thomson. No. XXIX.  
p. 349. etc.

minet, in pelvulam ferream, in qua est oleum e plantis expressum, diligenter antea calore a partibus aquosis omnibus purgatum immittitur. Purissima kalii pars guttatum in oleum destillat, et cochleari intercepta in petroleum infunditur. Hac ratione comparatum kalium quum omni vacet admixtione, splendore argentum paene aequat. Ad bene perficiendum hoc periculum, kaliique aliquam partem conficiendam hoc vel plurimum valet, ut ignis modus sit quam acerrimus, quo singulae quaeque particulae transigantur.

Ab hac exhibendi hujus metalli ratione paulum diversa est, quam sequitur *Smithson Tenant*<sup>4)</sup>; est enim et difficilior et minus tua. Etiam *Sementini*<sup>5)</sup> ad comparandum kalium viam ingressus est aliam; qua de re ipse egit in annalibus a *Gilberto* editis. Fornace prae ceteris elliptica utitur, quo aequabilius calorem in eam tubi partem cogat, in qua est ferrum.

*Curadeau* ita parabat kalium, ut kali, acido carbonico non plane satiatum, carbonibus in pulverem redactis et oleo mixtum, in retorta ferrea vel lapidea ad eum usque modum fervefaceret, ut prae candore alberet.

---

4) *Philos. Transaet. for the year 1814. Part. II.*

5) *Gilberti annales physicae. Tom. XLVII. p. 225 seqq.*

---

## CAPUT SECUNDUM.

### *De physica et chemica kali natura.*

Kalium sive hanc, sive illam ejus exhibendi rationem secutus fueris, hanc habet naturam physicam et chemicam:

Kalium (Potassium, Kali-Basis) in solita temperatione firmum corpus est, non pellucidum, cera mollius et digitis instrumentisve in quamlibet figuram cedens.

Naphthae ope recens solutum kalium in liquore argenti splendorem habet languidum; dehausta vero naphtha, si aëri exponitur, attracto ex atmosphaericō aëre oxygenio, plumbeum colorem induit.

Hujus metalli, cuius interna junctio crystallina est, pondus specificum, auctoribus *Gay-Lussac* et *Thénard*, in caloris gradu thermometri *Fahrenh.* undesexagesimo °, est 0,86507; auctore *Semen-tini* 0,874. *H. Davy* hoc tantum observat, pondus specificum esse inter 0,8 et 0,9, aquae si 10 tribuantur. <sup>1)</sup> Liquefit, auctoribus *Gay-Lussac* et *Thénard*, in temperatione graduum circiter

---

1) *H. Davy's Element's of chemical Philosophy.* Vol. I. Germanice versum ab *F. Wolff.* Tom. I. p. 294 sqq.

centum triginta sex° therm. *Fahrenh.*; et, auctore *H. Davy*, in calore graduum centum quinquaginta °.

Majori in calore, quum paene rubescat, cito exhalatur, et virides in spatio linquit vapores. Vehementer attrahit vim electricam.

Omnium metallorum maxime ad oxygenium inclinat kalium, quod jam solita in temperatione attractum consumit. Sed in hac oxydantur non nisi extremae partes, quippe quas solas ipsum oxygenium attingat, ut amotis his partibus, vel perfecto metallo, in medio appareat splendor ille argenteus de quo dictum est. Calidiori vero in temperatione kalii in oxygenium vis multo validior est, ita, ut haec aëris species, lucem efficiens et calorem, facile consumatur.

Auctoribus *Gay-Lussac* et *Thénard*, efficit kalium oxyda tria inter se diversa, omnia vero, id quod in alio metallo nullo observatur, metallo ipso graviora.

Oxydum primum, quod coloris subcaerulei, naturae perquam causticae et ponderis, quam metallum, gravioris est, nec lumine neque calore dissolvitur, in aëre atmosphaericō calefactum facile accenditur, et oxygenii maximam, quam potest, partem exipit. Aqua imbutum aërem atmosphaericum, excipiendo ex eo oxygenium, dissolvit.

Constare hoc oxydum e centum kalii et decem oxygenii particulis, vero simile est. Naturā non efficitur, sed arte conficiendum est. Primus fecit *H. Davy.*

Oxydum secundum albo colore idem kalio gravius et valde causticum est. Calidissima in temperatione liquefit, sed ne summo quidem calore dissolvitur; aëri autem expositum, difflit. Constat hoc oxydum e centum kalii et 19,945 oxygenii particulis. Purum non reperitur; sed una cum materiis aliis, velut in multarum plantarum succis, cum tartari, sulphuris, salis etc. junctum acoribus.

Oxydum tertium, in quo quam maxima oxygenii copia inest, colorem habet e viridi flavum. Est idem causticum, et specifico pondere, quam kalium, gravius; colliquescit temperatione paullum minori, quam oxydum secundum, calore nullo dissolvitur, nec ulla in temperatione consumit oxygenium. Triplum, quam oxydum secundum, continet oxygenium; constat enim e septuaginta quinque kalii et quadraginta quinque oxygenii particulis. Hoc oxydum quum acriter conferbuerit, oxygenium reddit, relicta materia quadam cani coloris, aegre tantum liquecente, quam *H. Davy* dicit esse kali purum, quaeque constat e septuaginta quinque kalii et septendecimi oxygenii particulis.

Est enim res sane memorabilis, qua primum ad chirurgorum usum perveniet kalium, quod, quum attigerit aquae superficiem, effecto lumine et calore, eam dissolvit. Aquae superficie innatans, lumine albo, cui rubri et violacei aliquid admixtum est, pulcherrime aburitur: qua ex re, coniuncto kalio cum oxygenio aquae, et aqua dissoluta, remanet kali causticum; aqua, in qua abustum est kalium, saporem dicit alcalinum.

Kalium, aquae ita suppositum, ut ab eo aër atmosphaericus plane arceatur, lumine non effecto, mutatur in kali causticum, et aqua saporem assument alcalinum. In aburendo kalio unum kalii granum oxygenii excipit digitum cubicum circiter unum cum dimidio.

Quum kalium, aëri atmosphaericо expositum, pro magna sua ad oxygenium inclinatione, tam facile oxydetur, si quis purum id conservare velit, is ab aëris accessu diligentissime muniat perquam necesse est. Cui quidem rei maxime idoneum est bitumen, in quod recens confectum infunditur; nec non oleum olivarum et petroleum, in quo vero huic metallo, hora praeterlapsa, inducitur alba corticula, quae merus sapo est; mutatur enim cum damno olei kalium in kali, et hac ratione efficit saponem. Haec autem corticula impedimentum infert ulteriori oxydationi, ut, si kali particula

detriventeris corticulam, purissimum sub ea appareat kalium.

Optime, ut opinor, conservari posset in vase vitro, accurate et firme pracluso; nam quum aér, qui adest in vase, semel perdiderit oxygenium, metallum illud, nisi denuo in vas influxerit aér, mutationi obnoxium nulli est. Ac etiamsi exteriores metalli partes paulum oxydentur, hoc nihil impedit, quo minus cauterii loco adhibeatur, nisi modo oxydi nimium perceperit.

---

### CAPUT TERTIUM.

#### *De kalii caustica vi.*

---

Est cur miremur, quod, quum singularis hujus metalli natura, qua, quum aqua tactum sit, lumine et calore haud exiguo effecto celeriter dissolvitur, jam ante hos viginti fere annos reperta et cognita sit, non prius chirurgi ex eo externorum remedium morborum quaesiverint; quum procul dubio practici cuiusvis medici permultum debeat interesse, ut habeat, quod in ferri candentis locum substituat. Accidit enim haud raro, ut, quum unicum morbi alicujus remedium positum sit in ferro candente, tamen eo uti prohibeatur medicus, quum propter aegroti cognatorumque timiditatem,

tum propter ingentem ferri candardis timorem, quo  
commoti morte malent, quam ferro candardi affici.

Viro de chirurgia praeclarissime merito illustr.  
*de Graefe* hoc quoque laudis tribuendum est,  
quod hoc metallum, in effectu ferro candardi si-  
millimum, neque tantum aegroto inferens terrorem,  
primus retulit ad usum chirurgicum. Nam in in-  
stituto suo chirurgico-clinico sub initium anni  
MDCCXXVIII eo usus est tanquam cauterio  
actuali in curanda Coxalgia (Coxarthrocace).

Si superficie corporis aliquam partem aqua hu-  
migatam attingit kalium, per illum, quem supra  
descripsi, processum chemicum, ea corporis pars,  
quam ipsam kalium attigit, repente abit in corti-  
culam coloris e flavo fusci, sensu carentem omni,  
et ad tunicam cellulosam usque penetrantem. In  
proximas autem partes vim exhibet vivificam et  
stimulantem, ac ruborem simul iis elicit. Soluta  
octo vel decem diebus lapsis hac corticula, relin-  
quitur suppuratio bona et satis larga, in qua quum  
ea pars, quae pus movet, tum quae huic proxime  
adjacent, sthenica afficiuntur inflammatione. Ac  
si quis huic loco pus moventi fonticuli partes tri-  
buat, pus diu permanebit bonum largumque, ita,  
ut pluribus demum praeterlapsis hebdomadibus  
evanescat vitalitas vivaque hujus loci suppurantis  
efficientia. Tum asthenica evadit inflammatio,

suppuratio minor et magis ichorodes; ideoque aut unguenti simplicis, quod hucusque adhibita est, loco stimulans sumendum, aut, id quod plerisque in rebus haud dubie esset aptissimum, alioquinam loco, qui ab illo priori, cui obducitur cicatrix, spatio digitali vel sesquidigitali distare debet, kalium iterum adhibendum est.

Commoda, quae ex adhibito remedio redundant, haec sunt:

I. Subita hac adustione nervi prope adjacentes acri vivificoque afficiuntur incitamento, quod per circumfusum calorem etiam ad partes laboranti proximas vim exercet suam. Inde mutatio, conversio, majorque rigiditas fit fibrarum, et ad maiorem vim vitalem excitatur ipsa pars laborans. Sequitur celerior materiae commutatio, suctus fortior, indeque citior distractio.

II. Ex ejus partis, quam ipsam kalium attigit, extincione efficitur primum corticula, tum inflammatio, deinde suppuratio bona ac satis larga. Qua si quis utatur tanquam fonticulo, per eam morbi alicujus profundius latentis semina ad corporis superficiem duci optime potest.

Collato hoc kalii effectu cum vi ferri candentis, de qua pro excellenti sua experientia praeclarissime egit Illustr. *Rust*<sup>1)</sup>, summam inter utrumque in-

---

1) *J. N. Rust Arthroacologia, seu de Luxatura, ex in-*  
B 2

tercedere videmus similitudinem. Si *Rust* laudat ferri carentis I. subitum effectum, ut, quae partes ab eo sint attactae, statim exarcescant abeantque in corticulam duram ac torpidam: idem videamus esse in kalio.

II. Ferri carentis efficientia per ipsum usus momentum cito vim exserit ad partes remotiores: idem observatur kalii proprium.

III. Vis ferri carentis posita est etiam in effuso calore (e quo omnis exoritur vita), qui, quum pro celeritate sua et acritate in ipso, quo adhibetur, momento per partem laborantem eique proximas diffluat, singulam quamque fibram, a corticula remotam ac relaxatam, ad vitam et vigorem denuo excitat: eandem plane in usu kalii deprehendimus naturam.

IV. Ferrum candens una corticula efficit inflammationem hypersthenicam, quae per organarum partium superficiem late diffunditur.

Hoc in loco kalii videtur alia esse, quam ferri carentis, vis, quum illud, me arbitrante, inflammationem efficiat nonnisi sthenicam, suppurationem vero non aequa largam et pus ipsum minus crassum. Corticula, quam efficit ferrum candens, fusciori colore est, et biduo ante, quam a kalio formata,

---

ternis cansis profecta, deque ferri carentis usu.—  
c. fig. aur. incisis. Vindobonae, 1817.

discedit a vivis partibus organicis. Quia de re persuasum mihi habeo, kalium, quum cauterii actua- lis habeat vim, tum etiam cauterii potentialis locum obtinere posse, eodemque modo, licet pauca tan- tum vi, chemico processu partes decomponere or- ganicas, succos in ipsa elementa solvere, viriumque vitalium organisationem paullum debilitare. Quia ipsa ex re de minore kalii inflammatione et suppu- ratione mihi liquet. Quapropter equidem hac ducor opinione, cauterium hoc medium quoddam tenere inter ferrum candens et kali causticum, ita tamen, ut aliquanto plus ad ferri candardis vim accedat.

Haud dubie etiam in moxae locum substitui kalium posset, quum hujus remedii quantam esse velimus efficientiam ad partes organicas intensivam, penes nos sit statuere, quumque per circumfusum calorem eandem ad partes propriores vim volatilem exerceat, quam moxae tribuit *Larrey* <sup>2)</sup>. Quid? quod moxae forsam etiam praferendam est, quum in adhibendo kalio efficientiae modus nostra in manu positus sit; quae quidem res desideratur in moxa. Hujus igitur vis nunquam aequa intensiva potest esse, ac kalii, quod vel ideo quoque magis est probandum, quod ob usus celeritatem aegrotis gratius acceptiusque est.

---

2) De l'usage du Moxa; au Recueil de Mémoires de Chirurgie. Paris, 1821. P. 7.

Cum reliquis cauteriis nihil kalio commune est praeter illa, quae dicta sunt.

Ex iis, quae hoc in capite de kalio dicta sunt, colligere licet, hoc remedio tum semper esse utendum, quum cauterio actuali opus sit. Maxime vero in luxaturis, quarum causa interna est, ut in coxalgia morbisque huic cognatis, indicatum est.

Adhibui kalium in secundo coxalgiae stadio, in quo articuli caput partesque proximae ita jam erant tumefactae, ut morbi in tertium stadium transitus quovis momento immineret. Statim post usum eandem, quae ferri candardis esse solet, subitam et inopinatam in hoc quoque remedio animadverti efficientiam. Remissa enim subito dolorum acritate, puellulae aegrotanti liberius movere articulum laborantem, et minori cum dolore aegro pedi insistere licebat. Morbi tertium in stadium transitus etsi plane auferri non poterat, tamen per plures hebdomades differebatur; quae vero res hujus medicamenti usui nihil adversatur. Nam in usu ferri candardis, quum in schola, quae vocatur Charité, *Rust* duce, similibus in morbis adhiberetur, idem vidi accidere. Causa, opinor, nonnisi in aegroti natura, aut in ulteriori morbi progressu posita est. An puellae illi sanitas plane restituta sit, indicium annum instituti chirurgico-clinici Viri Perillustris *de Graefe*, in quo hanc

adhibui curationem, docebit; ego enim, quum Be-  
rolino discederem, hanc quoque aegrotam reliqui.

Me quidem arbitrante, nonnunquam hoc medi-  
camentum jam exeunte primo vel ineunte secundo  
hujus morbi stadio, quum, antiphlogistico curationis  
genere toto peracto, in usum vocanda sint ves-  
icatoria, haud absque utilitate adhiberi potest, eo  
quidem consilio, ut superficie inflammata interna-  
rum partium inflammatio debilitetur, et ad super-  
ficiem producatur, ac hoc ratione inflammationis  
exitui, qui exsudando etc. potest exsistere, occur-  
ratur. In quo autem cavendum est, ne nimia cum  
vi adhibeatur medicamentum; tum enim, quae in  
superficie excitata est inflammatio, ad partes etiam  
inferiores valeret, inflammatio non minueretur,  
sed augeretur potius, et inde morbi discrimen ce-  
leraretur. — Maximam autem hoc medicamentum  
praestare puto utilitatem in aegrotis valde infirmis  
adhibitum, quorum laxae sunt fibrae et ab interna  
aliqua causa profectus est morbus; contra quum  
rheumatice e temperatione mutata natum sit ma-  
lum, tum vesicatoria potiora ducenda existimo.  
Sed in hujus remedii usu cetera, quorum his in  
morbis vis probata est, interna externave neuti-  
quam negligenda sunt.

In seniori vero hujus morbi decursu, ubi forma  
mixturaque adeo jam mutatae sunt, ut ex aceta-

bulo cedere jamjam videatur articuli caput, musculorumque junctura sit laxissima; tum fortiori utendum effectu, kaliumque pluribus simul locis adhibendum est, ut fibrarum in partibus mollieribus contractilitas excitetur et intendatur, et inde in suo loco ac statu contineatur caput articuli. Horum locorum kalio adustorum uno utaris tanquam fonticulo, ceterisque studeas obducere cicatricem. Quod si hac ratione medelam nondum assecutus sis, ratione quum aegrotantis virium, tum morbi natura habita, iterum adhibeas kalium, ita tamen, ut ad consequendam bonam largamque suppurationem fonticuli locum semper alium eligas.

Ultimo stadio, quum in articuli cavernam humorum jam aliquantum confluxerit, kalium adhibeas, magna fortique vi addita, fonticulumque efficias satis magnum, e quo per aptam ligationem pus multum bonumque semper eliciendum est, ut ita ex internis partibus bene deducatur; in quo vero medicamentis roborantibus vires et excitationes et augendae sunt.

Ita adhibito medicamento, utilitatis ex eo vel plurimum expectare licet, nam procul dubio primis periodis efficacior et salubrior est stimulatio, quam suppuratione; et potest haec methodus kalio facilius, quam ferro candente, perfici, quum et

usui multo aptius sit, nec tantum aegrotantibus  
inferat terrorem.

Kalium, quum non meram cauterii actualis  
vim habeat, sed ab eo etiam, effecta illa exustionis  
crusta, partes organicae efficiantur, quin haud  
paucis in casibus ferro candenti anteponendum sit,  
dubium non est. Tum vero maxime praeferen-  
dum erit, quum non solum id agas, ut crustam effi-  
cias, sed etiam ut partes organicas in elementa  
dimisceas dissolvasque, ut in telangectasia etc.; —  
neque minus tum, quum species ad extingueda  
venena animalia. Sic e. g. in vulneribus, e rabi-  
dorum animalium morsu natis, praesentem esse  
vim ferri carentis, siquidem satis mature adhibi-  
tum sit, permultis exemplis editis docuit Vir  
illustris *de Graefe*; quibus tamen in rebus alii  
viri illustres kali causticum, quia specifica ratione  
extinguat venena animalia, potius duxerunt. At  
nonne utrique huic medicamento anteponendum  
sit kalium, in quo illius utriusque fere vires junctim  
reperiantur? Efficitur enim corticula, quae faci-  
lius, quam quae kali caustico formatur, discedit  
ab organismo; id quod magni hoc in re momenti  
est, ut citius pus moveatur inveniaturque via de-  
ductoria; suppuratio existit fortior et largior, quam  
adhibito kali caustico, quae res ad prosperum  
morbi eventum aliquantum haud dubie confert;

inest simul in kalio vis ea kali caustici, qua venenum animale extinguitur; potest denique kalium celerius faciliusque, quam ferrum candens, et minori cum dolore, quam kali causticum, adhiberi: quae kalii p[ro]ae utroque illo medicamento virtutes observandae certe et in comparationem adducendae erunt.

Etiam haematostatico remedio usus sum kalio: in quo medendi genere hoc metallum praesenti sua vi prosperrimum mihi praestitit eventum.

Infantis quatuor annorum, pneumonia laborantis, pectori tres hirudines quum applicassem, sanguinis profusio existebat tam effrena, ut stypticis compressionibusque exhibitis omnibus nihil proferem. Itaque quum jam in eo essem ut confugerem ad cauterium actuale, et in praesentium animis ad adhibendum hoc medendi genus preparandis versarer (quorum vero anxietas ac dispernitia vultibus ac habitu expressa valde me conturbabant), prospere evenit, ut insignis kalii vis in mentem mihi veniret. Quo igitur metallo e domicio meo statim arcessito, tres particulas, hirudinis ictum magnitudine aequantes, locis sanguinem profundentibus, diligenter antea siccatis, applicabam. Profuso sanguine accensum kalium statimque abustum crustam relinquebat, qua cohiebatur sanguis. Hoc igitur usus remedio, sanguinis pro-

fusionem, quae valde me sollicitabat, suppressi;  
cujus rei adhuc ignari sunt infantis illius parentes.  
Quae quidem agendi ratio certe iis, qui quando  
simili in perturbatione versati sunt, grata accepta-  
que erit.

Crustulis illis aliquot diebus post abscissis, vul-  
nuscula illa, simplici vinctura adhibita brevi sanan-  
tur. Etiam hoc in casu, quo suppuratio prohi-  
benda est, haud abs re esset, id facere, quod in  
crustis moxa effectis ad depellantam purulentatio-  
nen jubet *Larrey* <sup>3)</sup>). Humectat enim hicce cru-  
stas spiritu salis ammoniaci caustico; quo facto non  
abscinduntur hae, sed sensim singulisque partibus  
defricantur.

Postremo etiam propter vim, quam exercet in  
homines, qui subitum in mortis periculum adducti  
sunt, servandos, kalium memorandum est. Per-  
saepe enim ad tales vocatus medicus, quum vivi-  
fica acrisque stimulatio adhiberi necessario debeat,  
quo hanc efficiat, nihil habet; ferrum enim can-  
dens omniaque fere medicamenta, his in rebus  
efficacia, aut desunt, aut, si adsint, temporis ni-  
mium requirunt. Quid? quod haud raro accidit,  
ut etiam laccae signatoriae, qua, licet mediocrem  
tantum vim in talem organismum exerceat, tamen,  
re postulante, utendum est, adhibendae facultas

---

3) *Larrey* l. c.

deficiat, ac hac quoque ad excitandam animandamque in homine vitam uti medicus nequeat. Quo in casu auxilium fert salutemque kalium, quippe ad quod adhibendum aquae guttulae nonnullae vel nunquam nusquamve desint. Quocirca in nullo apparatu medico, servandae in mortis periculo vitae accommodato, non inveniri debet hoc metallum tam efficax, quod, quum vitam hominis retinere persaepe valeat, medicoque maximas auxiliij lati gratias conciliet, perexiguum in apparatu locum occupat.

---

## CAPUT QUARTUM.

### *De kalii erodendi facultate.*

---

Ad adhibendum kalium his rebus opus est:

- I. Chartae densatae segmento, volam manus amplitudine aequante, quod, prout membra laborantis, cui id applicaturus es, figurae aptum sit, in formam vel rotundam vel ovatam redigendum est. Mediae huic chartae foramen inciditur ea figura et magnitudine, qua velis fieri crustam; tumque tota aqua humectatur; —
- II. panniculis madefactis, quibus tegantur partes proximae; —
- III. aquae guttis nonnullis, quibus locus erodendus humigetur; —

IV. kalio ipso, quod erodat; — et ~~ad illa numeris~~

V. panniculo linteo, unguento simplici obliito, si-  
mulque scidis emplastri glutinantis.

Kalium quidem antequam eo utaris, fortiter  
ac firme condepsendum est, ut singularum par-  
tium, laxius inter se junctarum, adhaerentia au-  
geatur, condensandoque caveatur, ne, id quo  
ceteroqui facillime accidit, latius disjiciantur flam-  
mae. Maxime vero tum condepsendo opus est,  
quum e minoribus nonnullis kali particulis unam  
velis conficere; hae enim particulae, nisi firmissime  
eas compresseris, in aburendo circumvolitantes  
nocere facile possunt. Tum hoc quoque commodi  
in malaxatione est, ut per eam partes externae jam  
oxydatae intus vertantur, metallum non oxydatum  
ad externum agatur: indeque kalium tanto facilis,  
quum aquam attigerit, accendatur et aburatur.  
Debet autem malaxatio, quae, quum cera mollius  
sit metallum, perquam facile perficitur, semper  
fieri in vase, naphtha vel petroleo impleto; aut si  
absque hoc fluido fiat, celerrime in ea digitisque  
oleo multo humectatis versandum est, quum alioqui,  
et maxime calidis digitis, facile accendatur digitos-  
que corrodat. Forma quoque ea, quae commoda  
videtur, inter condepsendum tribuenda est kalio.

Omnibus praeparatis, aegrotus apte collocatur  
et a ministris firme tenetur. Tum locus, cui cau-

terium adhibendum est, si in eo pili sint, ab his diligenter purgatur; charta illa humectata, loco urendo imposta, ab instrumento ad moxas continentas idoneo vel alio quovis huic rei apto, fortiter deprimitur; partes proximae panniculis humidis obteguntur, in foramen illud, chartae incisum, aquae guttae nonnullae infunduntur et in his ponitur kalium. Quo derepente abusto, tota ad finem perducta est operatio; idque tam celeriter, ut aegroti, quid ipsis evenerit, fere nesciant. Dolor enim, hac ex operatione susceptus, peracta ustione, statim finitur. Celeriter amoto reliquo kali oxydo, crusta obligatur panniculo simplici unguento oblio, qui scidis emplastri glutinantis continetur. Quod si vero acrior fiat inflammatio, aut nervi vehementius afficiantur, quod tamen nunquam equidem vidi evenire, harum rerum pro sua quaeque proprietate tractanda erit. Quod tamen fiat rarissime tantum, credo, necesse erit.

Haec ratio adhibetur in instituto illo chirurgico-clinico; quam tamen ita mutari velim, ut panniculi humidi, a curatione plane absint; kalium enim, si uno frustulo constet, et bene antea compressum sit, flammæ et perpaucæ et minimi effectus erunt. Apertas si feceris infectasque partes proximas, id quoque commodi assequeris, quod praebet ferrum candens, ut calor effusus directe ad illas quam efficacissime valere possit, vitam in iis majorem excitet, inflammationem, contractiōnem materiaeque mutationem intendat. Imo vero etiam bonam vim exserere possunt stimulando flammulae paucae disjectae, modo, simul ac deciderint, cito amoveantur, ne, ut kali causticum, corrodant doloremque aegroto afferant. Tum tantum, me sentiente, panniculis utendum sit, quum

e minoribus pluribus kalii particulis uiam confe-  
ris, quippe quod nunquam tam solide penitusque  
fiat, quin singulae partes in urendo desiliant.

Figura quidem crustae, quatenus equidem vidi,  
semper rotunda erat; sed quum et chartae exsectio  
et kalii figura ad cuiusvis arbitrium formari possint,  
inde ea quoque assequi licet commoda, quae Illustr.  
*Rust* striis a ferro candente formatis tribuit. Quin  
imo, quam ferri duplicitis utilitatem laudat *Klein*<sup>1)</sup>,  
et eam hujus metalli in usu consequi possumus, si  
chartae densatae strias duas incidamus, iis duas  
kalii particulias adaptamus, hasque simul ad-  
hibeamus.

Etiam quem efficientiae modum esse velis, e  
forma kalii licet constituere. Loco affecto si tenuem  
valdeque depresso kalii particulam applicaveris,  
minor erit effectus et ad partes organicas parum  
valebit; contra, crassa kalii particula adhibita, ad  
tunicam cellulosam usque vis exseretur.

Itaque in hoc medicamento, aequa ac in ferro  
candente, efficientiae modus statui potest, et etiam  
hac re ad ferri carentis praestantiam proprius ac-  
ceditur.

Kalium si in moxae locum substituere velis,  
chartae densatae segmento opus est, ratione supra  
memorata formato; tum kalium bene compressum  
subactumque in formam aptam redigendum, et ita  
adhibendum est, ut supra monstravi.

Hujus moxae vis ex amplitudine ejus et magni-  
tudine pendet; parva ejus tenuisque particula  
exiguam et leviorem, longa vero et crassa magis  
intensivam, fortiorem et ad interiores partes magis  
valentem vim exercebit: quae effectus inaequalitas

---

1) *Klein*, de ferri carentis usu; in Diar. a Graefe et  
Walther edito. Vol. III. Tom. IV.

quum in moxis rite adhibitis non tanta reperiatur, propterea fortasse kalium, moxae loco adhibitum, praferendum est. Etiam usus ejus medico plus commodi afferit, et aegroto minus timoris injicit; celerius praeterea in eo versari licet, nec tot tantisque apparibus, aegrotantium mentes prementibus opus est.


Habes igitur, amice Lector, summa paucarum observationum mearum, e quibus sententias alias, accuratori existimatione, ut opinor, haud plane indignas depromsi: quae ipsa res me movit, ut kalium in ferri candens locum substituendum proponerem commendaremque.

Licet enim nonnullis in casibus maximeque in usu nosocomiorum, ferrum candens anteponendum sit, tamen in usu privato, propter eas, quas supra enumeravi, causas, kalium illi praferendum esse arbitror.


Mox utinam a Viris exercitatiōribus peritioribusque ea de adhibendo hoc remedio praeципiantur, ad quae nonnisi animos eorum advertere ego hoc in opusculo studui.

Rostochii mense Aprilis a. MDCCXXIX.

ur,  
m,  
us  
it;  
s-  
us  
ni  
A  
ui  
da  
li-  
ud  
it,  
m  
in  
m  
ra  
se  
i-  
n-  
go  
lo  
at  
ra  
as  
t  
o  
7







usui multo aptius sit, nec tantum aegrotantibus inferat terrorem.

Kalium, quum non meram cauterii actualis vim habeat, sed ab eo etiam, effecta illa exustionis crusta, partes organicae efficiantur, quin haud paucis in casibus ferro candenti anteponendum sit, dubium non est. Tum vero maxime praferendum erit, quum non solum id agas, ut crustam efficias, sed etiam ut partes organicas in elementa dimisceas dissolvasque, ut in telangectasia etc.; neque minus tum, quum species ad extingueda venena animalia. Sic e. g. in vulneribus, e raborum animalium morsu natis, praesentem esse vim ferri carentis, siquidem satis mature adhibitum sit, permultis exemplis editis docuit Vir illustris *de Graefe*; quibus tamen in rebus alii viri illustres kali causticum, quia specifica ratione extinguat venena animalia, potius duxerunt. At nonne utrique huic medicamento anteponendum sit kalium, in quo illius utriusque fere vires junctim reperiantur? Efficitur enim corticula, quae facilius, quam quae kali caustico formatur, discedit ab organismo; id quod magni hoc in re momenti est, ut citius pus moveatur inveniaturque via deductoria; suppuration existit fortior et largior, quam adhibito kali caustico, quae res ad prosperum morbi eventum aliquantum haud dubie confert;

